

potestatibus, seu consulibus de Aste per tempora existentibus, nec hominibus de Aste guarntis, vel scaritis pro communi, nec pro diviso in aliquo tempore, ita ut homines de Aste de tota prædicta terra, & castellis, & locis, & hominibus faciant pacem, & guerram quandocumque, & cuicumque, & ubicumque voluerint, & ita ut ipsi D. Otto, & D. Hugo ejus filius teneantur ex tota terra illa, & ex hominibus illis castellis, & hominibus facere pacem, & guerram cum hominibus de Aste quandocumque, & ubicumque homines de Aste voluerint, & eis dixerint, vel mandaverint eo salvo, quod non teneantur proinde facere guerram Januensibus, nec D. Henrico de Carretto, & ita ut teneantur facere hominibus de Aste de nniversis hominibus terræ, & prædictorum locorum exercitus, & itinera, succursus, & cavalcatas toties quoties hominibus de Aste placuerit, & dixerint, vel mandaverint, & si quid aliud in fidelitate continetur, quod Vassallus facit suo Domino, illud totum juraverunt attendere bona fide, in quo Sacramento posuerunt attendere bona fide totum illud, quod in scripto continebatur; sicut illa coram eis in credentia lecta fuerant, & ordinatum in quo præterea quæ superius leguntur, & quæ inferius scripta sunt continebantur, licet ibi non sint lecta in concione, scilicet salva D. Imperatoris fidelitate, & salvo eo, quod ipsi D. Otto, & D. Hugo ejus non teneantur, quin ipsi per se, & per eorum homines possint offendere, & guarriare Cuneum si voluerint, & quod teneantur vetare stratum Albensium per totam eorum terram, si potestates, vel consules de Aste ipsis D. Ottoni, & filio suo dixerint, vel mandaverint, & quod potestates, vel consules de Aste debeant vetare stratum eisdem Albensibus, per totam eorum terram, ut eorum posse ubicumque potuerint, si D. Otto eis dixerit, nisi communi credentia ipsi D. Ottonis, & potestatum, vel consulum in Aste per tempora existentium remanserint. Interfuerunt testes D. Rollandus medicus Judex potestatis, D. Guidonus Zazius ejus miles, Raymundus de Platea, Petrus Laurentius, Albertus de Canelio, Bonifacius de Arguello, Sibiliator de Lanerio, Bonifacius de Gorino, & multi alii in concione illa existentes. Præterea in eodem die in Ecclesia sancti Joannis de Domate coram credentia per campanam ibi congregatam, & in præsentia infracriptorum, jam dictus Otto de consensu, & voluntate D. Hugonis filii sui propter concordiam, quam D. Henricus Zazius potestas Astenfis nomine communis de Aste secum fecit donum in manu ejusdem Henrici potestatis Astenfis nomine communis de Aste de sua parte Laureti, & comitatus Laureti, & Castagnolarum, & pertinentiis Castagnolarum, quam ipse D. Otto dicebat esse sextam decimam partem tali simili modo, ut ipse Henricus potestas Astenfis, & ejus successores nomine communis Astenfis dictam partem quieto de cætero jure proprietario habeat, teneat, & possideat, & ex ea quidquid voluerit faciat sine omni contradictione, & inquietatione ipsius D. Ottonis, & heredum ejus: & insuper dictus D. Otto fecit pacem, & finem, & refutationem, & pactum de non petendo in manu ejusdem Henrici potestatis

Astenfis nomine communis de Aste de omni jure, ratione, & actione reali, & personali, quod vel quam contra commune de Aste, vel contra aliam personam occasione dictæ partis, vel occasione dampni quod sustinuerint, habuerit ex eo, quod commune de Aste dictam partem hactenus tenuit, haberet, vel exigere posset in aliquo tempore ullo modo, & insuper dictus D. Otto, & D. Ugo ejus filius promiserunt supradicto Henrico Zazio potestati Astenfis nomine communis de Aste stipulanti prædictum donum, prædictamque pacem, & finem, & refutationem, & pactum de non petendo firmum, & firmam tenere, nec per se, nec per aliam personam in aliquo tempore molestare, nec removere, nec contravenire ullo modo. Interfuerunt testes D. Rollandus medicus, D. Guidonus Zazius, Raymundus de Platea, Petrus Laurentius, Albertus de Caneli, Bonifacius de Arguelle, Sibiliator de Lanerio, Bonifacius de Gorino, & plures alii, qui erant in credentia. Eodem die eis testibus in concione celebrata urbe Aste in mercato de Domate, prædicti D. Otto, & Ugo ejus filius juraverunt super Dei Evangelia prædictum Dominum, & prædictam pacem, & refutationem, & pactum de non petendo firmum, & firmam tenere, nec per se, nec per aliam personam in aliquo tempore molestare, nec removere, nec contravenire ullo tempore, vel modo. Item eodem die præsentia infracriptorum D. Henricus Zazius potestas Astenfis nomine communis de Aste promisit supradictis D. Ottoni, & Ugoni ejus filio stipulantibus, & ipsi D. Otto, & D. Ugo promiserunt ipsi Henrico potestati Astenfis nomine communis de Aste stipulationes infrascriptas, conventiones attendere, & observare, & firmas tenere secundum quod infra legitur, & continetur, videlicet si D. Otto inciperet guerram voluntate communis Astenfis, commune non faciat pacem, nec treguam, nec guerram recreutam, quin ponat ipsum D. Ottonem in eadem pacem, & treguam, si ipse D. Otto eadem pacem, & treguam habere voluerint, & si voluerint, nihilominus possit facere pacem, & treguam, idem teneatur servare D. Otto in omnibus, si commune de Aste guerram fecerit voluntate D. Ottonis si D. Otto aliquam guerram fecerit voluntate communis Astenfis, & de ea a dicta possessione, & pacem venerit, & occasione illius guerræ alia guerra super oriatur eo permittente, & volente se vel velle facere justitiam coram potestate, vel consulibus de Aste sicut per tempora fuerint, commune de Aste teneantur adjuvare eum a domo sua propria, & a domo D. Ottonis, si propterea quam ab eis accepta guerra fiat. Item commune de Aste non consentiet, ut aliqua nova villa fiat de terra, vel de hominibus, quos D. Otto tenet pro ipso communi. Item omnes conventiones, quæ facta sunt inter D. Ottonem, & commune Aste ipse D. Henricus potestas Astenfis, & omnes potestates sequentes, vel consules sicut per tempora fuerint, teneantur Sacramento firmas, & ratas habere. Actum urbe Aste in Ecclesia sancti Johannis de Domate, testes D. Rollandus medicus judex potestatis Astenfis, D. Guido Zazius ejus miles, Raymundus de Platea,